

saria est. Quotiescumque enim proximus opera atque ope tua ita indiget, ut sine ea in magnum discrimen adducatur; altissima etiam contemplatio deferenda est, ut periclitanti fratri subvenias.

Hoc autem eos præcipue accusat, qui, ut internis spiritus occupationibus vacent, ea officia negligenter obeunt, ad quæ status atque officii sui ratione tenentur. Uxores igitur viris, parentibus filii, præpositis subditi diligenter obtemperare debent, eorumque præcepta tota animi devotione implere. Quod ubi perfecerint, quidquid supererit temporis, otio contemplationis addicant. Idemque de prælatis erga subditos iudicium sit; ne videlicet, ob studium altissimæ etiam contemplationis, ovium suarum curam deserant: alioqui periculum erit, ne, dum illi cum Mose in monte divinis rebus intendunt, (a) populus in valle relictus vitulum aureum fabricet, illique se supplicem exhibeat. Quanto rectius Dominus ac Salvator noster, qui instante passionis agone sic orationi vacabat, (b) ut discipulos inviseret, & ab imminente periculo cavere præciperet;

(a) Exod. 32. 4. (b) Matth. 26. 36.

rursumque ad orationem rediens, ea finita mox ad eosdem monendos reverteretur, & ad vigilandum orandumque hortaretur, ne in tentationem inciderent? Quod contra multi faciunt, qui, contemplationis dulcedine inescati, & solitudinis amore capti, caritatis & misericordiæ officiis servire renuunt. Ajunt enim, se talibus officiis quietem, & animi tranquillitatem, spiritualemque dulcedinem amittere, ac multis etiam in rebus cum hominibus versantes delinquere, & a rectitudinis suæ statu deflecti. Tales autem alas quidem habent, manus autem alis adjunctas non habent: ideoque inter imperfecta & infirma ecclesiæ membra connumerandi sunt. Perfectorum enim est, & in solitudine, & in turba, & cum Deo, & inter homines, & in otio, & in negotio, strenue se gerere, & quod ajunt, ambobus dextros esse.

Quod faciunt, qui sic animo constituti sunt, ut non minori dexteritate, actionis, quam contemplationis, officia exerceant. Sic enim actioni incumbunt, ut non prorsus contemplationis officium deserant. Exercent enim, ut Climacus monet,

net, in membris agilibus intellectualem quietem; ubi vero ab operatione cessarunt, magna celeritate ad intermissum contemplationis opus redeunt, se ipsos prophetica illa voce cohortantes: (a) *convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Hoc enim nobis indicat, quod sancta hæc animalia, de quibus loquimur, ibant & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis: hoc est, quoties ad caritatis officia esset prodeundum, peracto caritatis opere, summa celeritate ad intermissum contemplationis studium redibant, priusquam ille devotionis & amoris fervor tepesceret. Intelligebant enim, & periculo ipso didicerant, verum esse, quod de magno illo Antonio Athanasius in ejus vita refert, id esse piis hominibus solitudinem, & spirituum rerum commentationem, quod piscibus aquam. Ideoque sicut pisces, ab aqua extracti, ad illam se quanta possunt celeritate proripiunt: ita viri sancti, ubi, caritatis necessitate cogente, ab interna vacatione ad frequentiam hominum prodeunt, confestim ad illam redire contendunt: ne, si diu-

tius cum illis versati fuerint, vel aliquid ex eorum moribus contrahant, quo mentis suæ puritatem inficiant; vel refrigerato caritatis ardore de integro illis laborandum sit, ut eo perveniant, unde ceciderunt.

Multi enim sunt, qui, hoc parum prospicientes, externis negotiis, ad quæ initio vel caritatis necessitas, vel majorum imperia impulerunt, sic se implicavere, ut postea nec ab illis emerferint, nec ad priora devotionis studia redierint, atque ita frigidi per omnem vitam remanserint. Quum enim ad ea regredi conarentur, difficilesque aditus invenirent; laboris difficultate offensi, ea prorsus deseruerunt. Est enim devotio velut (b) *spiritus vādens & non rediens*, vel certe, si diu fuerit intermissus, difficulter rediens. In quod discrimen multos monachorum incidisse animadverto, qui quum, initio conversionis suæ ab omnibus externis occupationibus feriat, soli Deo vacarent, ejusque suavissimis delitiis fruerentur; ubi postea, vel obedientiæ, vel studiorum occasione, ab illa interna vacatione ad externa opera transierunt, a deo incaute se se illis implicue-

(a) Psalm. 114. 7. (b) Psalm. 77. 39.

re, ut priora interni hominis exercitia penitus reliquerint. Neque enim plenam sibi homo securitatem polliceri debet, quod, vel caritate vel obedientia impulsus, ad externas occupationes descenderit, nisi illam etiam cautionem adhibeat, ut non modo iuste, sed prudenter etiam, quod iustum est, exsequatur. Saül enim, Domini imperio, regnum invitus & reluctans, & se ipsum, ut regni dignitatem effugeret, (a) abscondens, accepit; quia tamen incaute se in hoc officio gessit, ab eodem Domino, a quo vocatus ad regnum fuerat, (b) derelictus est. Merito igitur sancta hæc animalia a caritatis & obedientiæ officiis ad interna studia tamquam fulgura revertuntur: ne si diutius illis hærerent, perpetuo eisdem implicata remanerent.

§. III.

Sed quoniam alarum & manuum mysteria expeditimus, pedum quoque significationem excutiamus. (c) *Pedes, inquit, eorum, pedes recti, & planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli.* Scitis, fratres, pedis nomine in litteris sanctis animi propensionem & amorem desi-

(a) 1. Reg. 10. 22. (b) 1. Reg. 16. 1. (c) Ezech. 1. 7. (d) Luc. 15. 22. (e) Thren. 1. 9.

gnari. Unde divus Augustinus: *pes, inquit, anime amor est; qui si rectus est, dicitur caritas; si curvus, cupiditas.* Idcirco autem amores hominum pedes nuncupantur, quia sicut pedibus corpus fertur, sic anima movetur amoribus. Unde est illud ejusdem Augustini: *quocumque feror, amore feror.* Ideoque luxurioso filio, ad patrem redeunti, (d) cum stola prima & anulo calceamenta quoque providentur, ne pedes animæ, calceamentis nudati, terrenis rebus per amorem inhærent. Quia vero hujusmodi calceamentis Israëliticus populus nudatus erat, de illo Jeremias ait: (e) *sordes ejus in pedibus ejus*: quo significare voluit, populum immoderato terrenarum rerum amore fuisse sordidatum. Hac ergo de causa sanctorum animalium pedes recti esse perhibentur, quod omnium eorum amor, ad quemcumque porrigeretur, recta tamen in Deum tenderet. Quorum exemplo nos quoque monemur, ut omnes amores nostros, quos erga res conditas habemus, in Deum, tamquam in ultimum finem, referamus. Amamus enim primum eos, qui-

quibus aliqua naturæ necessitudine conjuncti sumus; ut parentes, ut filios, ut uxores, ut viros, ceterosque sanguinis communionem conjunctos. Amamus item opes, honores, dignitates & magistratus, quibus nos publicæ salutis consulturos speramus: eademque de causa litterarum studia colimus ac diligimus. In harum ergo rerum amore sollerter providendum est, ut quamvis per hæc diverticula amor noster deflectatur, recta tamen in Deum tendat. Quod facimus, quando, quidquid diligimus, ex caritate diligimus: tum autem ex caritate diligimus, quum propter Deum diligimus, & ad vitam æternam hæc omnia destinamus.

Quo in loco sollicite amor noster explorandus est, ne quid illi peregrini amoris admisceatur, si purum aurum, nullique inferiori metallo admistum, offerre Deo cupimus. Sapissime enim peregrinus amor huic amori adjungitur, sæpissimeque in hoc judicio fallimur; dum, quæ propter Deum diligere nos putamus, nostri gratia diligimus. Ideoque non sine magno consilio pedes isti sanctorum animalium in pedes vituli, qui ungulam findunt, ter-

minantur; qua quidem divisione discretio significatur: ut hac ratione intelligamus, omnibus his amoris affectionibus, discretionis virtutem jungendam esse; ut, quid purum aurum, quid adulterinum, quid ignobiliori metallo permistum sit, prudenter intelligamus. Natura quippe amoris proprii subtilis admodum est, & quocumque voluerit, penetrat, & in omnibus quærit se ipsam. Homo quoque, hoc eodem amore captus, sibi ipsi blanditur, sibi que ipsi adulatur, iusteque se facere putat, quidquid vehementer optat. Præclare enim D. Gregorius: *sæpe, inquit, mens sibi mentitur, & fingit, de bono opere amare, quod non amat; de mundi autem gloria non amare, quod amat.* Quam multi ecclesiæ dignitates sub prætextu pietatis ambiunt, qui tamen hac in re non tam Dei gloriam, quam suam, quærunt? Quam multi sub eadem imagine sacrarum litterarum studiis incumbunt, non tam ut animarum lucra, quam ut sua, captent. Quid quod spirituales quoque amicitia inter viros & feminas peregrini amoris aliquid interdum admittunt? quod quum initio minus appareat, consue-

tudine tamen crescit. Quo fit, ut spiritualis amor, quemadmodum D. Thomas ait, in carnalem sæpe degeneret, atque ita demum evenit, quod Apostolus ait, (a) ut quum spiritu cœperint, carne consummentur. Multos enim, qui hac occasione turpiter lapsi sunt, deplorat Augustinus; de quorum casu se non magis dubitare ajebat, quam Ambrosii aut Hieronymi. Quin etiam ecclesiasticæ historiæ memorant, illustrem quemdam confessorem, post superatas ungulas & tyrannorum minas, hoc laqueo ireritum fuisse: & qui carnificum tormenta superaverat, femineis blanditiis succubuisse. Qua ex re apparet, quam sit necessaria ungularum divisio, ut pedum rectitudo, hoc est, affectionum puritas, in animo conservetur.

Non modo autem pedum figura, sed etiam aspectus sanctorum animalium describitur. Unde sequitur: *aspectus eorum instar carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum.* Aspectus autem, quod in animante præcipuum est, caritatem, quæ principem inter virtutes omnes locum ob-

tinet, designare videtur. Expendite vero, qualis esse sanctorum caritas debeat, quæ igni & lampadibus comparatur. Hinc illud ex Psalmo: (b) *qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Ad hoc enim Spiritus sanctus super discipulos (c) in igne venit; & in hoc ipsum Dei filius se venisse ait, (d) ut ignem mitteret in terram, quo videlicet igneos homines efficeret. Certe hoc igne flagrabant duo illi discipuli ab Emmaus redeunt, quum inter se dicerent: (e) *nonne cor nostrum ardens erat in nobis, quum Jesus loqueretur nobis in via, & aperiret scripturas?* Hoc est igitur quod ait, sanctorum animalium aspectum esse quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectum lampadarum. Quo in loco non frustra lampadum nomen adjectum est. Carbo enim namque ardent illi quidem, non tamen illuminant; at lampades utrumque præstant, illuminant quippe simul & ardent: ardent sibi, illuminant alios. Talis erat Elias, de quo scriptum est: (f) *surrexit Elias quasi ignis, & sermo ejus ut facula ardebat.* Sic etiam de Joanne

(a) Galat. 3. 3. (b) Psalm. 103. 4. (c) Act. 2. 1. (d) Luc. 12. 49. (e) Luc. 24. 32. (f) Eccli. 48. 1.

ne Baptista Dominus ait: (a) *ille erat lucerna ardens & lucens.* Quicumque igitur ardet quidem, sed non lucet, carbo ignitus est: at evangelici viri lampades esse debent, qui sibi ardeant, & aliis luceant.

Restat aliud in adpectu animalium considerandum. Ait enim propheta, facies eorum, & pennas eorum in sublime erectas esse. Hoc in loco, per faciem, operum intentionem accipimus. Sicut enim inspecta facie homines agnoscimus, ita opera nostra ex intentionis puritate dignoscimus. Alius enim eleemosynam inanis gloriæ desiderio ductus, alius Dei amore incensus tribuit: illud inanis gloriæ, hoc misericordiæ opus est. Sic cetera opera ex intentionis conditione metimur. Pennarum autem nomine cogitationes intelligimus, quibus animus noster in sublime fertur. Quum ergo ait, sanctorum animalium & facies & pennas in altum subrectas esse, hoc admonere nos voluit, ut omnis nostra intentio & operatio, hoc est, quidquid exterius molimur, vel interius cogitamus, in cælum referamus, quando jam (b) domesticus Dei, & cæli cives effecti

Tom. III.

sumus. Animadvertite, quæso, fratres, quo studio a nobis Dominus requirat, ut in terris positi, semper animus noster in cælo versetur. Non enim contentus, aquilæ faciem animalibus indidisse, duplicesque alas in sublime protensas contulisse; modo etiam facies, sicut & alas, in altum erigi vult: ut videlicet omnis nostra actio, omnis cura & cogitatio, omnis amor ac desiderium, in cælum semper tendant, eo ferantur, ad illud semper adspirent, vitæque cursum & gressus omnes dirigant.

Hoc igitur summo studio viri sancti præstare curabant, cujus rei gratia, cælestes homines, aut terrestres angeli nuncupantur. Theodoretus vero viros sanctos appositisimo nomine animalia alata nuncupat: quia quum in terris quemadmodum animalia versentur, ut aves tamen in sublime volant. Intelligunt enim, in hoc se esse conditos, propter hoc in vita conservari, propter hoc cælum, terras, maria, & quæ his locis continentur, illis perpetuo deservire, ut ipsi, communi omnium Domino servientes, cælestis patrimonii

(a) Joan. 5. 35. (b) Ephes. 2. 19.

nii heredes instituerentur. Et idcirco quamdiu ab hoc officio feriantur, frustra se quodammodo vivere, frustra que creaturarum obsequio se uti arbitrantur. Unde quemadmodum fidelis servus, qui expediendæ alicujus litis gratia in curiam missus est, hoc unum semper ait, hoc sollicitè curat, modo iudices, modo advocatos, modo scribas conveniens, neque aliud agit, quam id, cujus gratia missus est: ita fidelis Dei servus & prudens, quum intelligat, se ob hoc in vitam missum, ut cælestis regni hereditatem bonorum operum meritis consequatur, in hoc unum tota animi contentione incumbit, hoc curat, hoc dies noctesque cogitat, huc omnes cogitationes & omnia vitæ studia dirigit; cetera vero omnia, tamquam aliena, & nihil ad se pertinentia, valere jubet. Hoc est igitur, quod facies & alæ sanctorum animalium, quæ desuper extantæ sunt, nobis insinuant.

§. IV.

Sed quoniam animalium sanctorum figuram vidimus, eorum quoque motum consideremus. De eo namque propheta subdit: *ubi erat impe-*

tus spiritus, illuc gradiebantur; nec revertentur, quum incederent. Quibus verbis admiranda quædam sanctorum a-lacritas & obedientia, & perfecta propriæ voluntatis mortificatio designatur. Intelligunt enim viri sancti, totius humanæ perfectionis & felicitatis summam in exsequenda divina voluntate, hoc est, in plenissima obedientia sitam esse. Hac enim una re caritatis perfectio, quæ divinæ legis finis est, continetur. Idem namque velle, idemque nolle, ea demum perfecta amicitia est. Hac etiam obedientia homo fit quodammodo deiformis atque divinus. Qui enim sic voluntatem suam instituit, ut nihil prorsus aut velit aut nolit, nisi quod Deum velle aut nolle cognoverit; is utique, quod ad vitæ integritatem at-tinet, hominem quodammodo exuisse, & Deum induisse videtur. Ceterum, quum intelligant, neminem ad hoc virtutis fastigium pertingere posse, nisi propria voluntate, quantum fieri possit, abdica-ta; in hoc totis viribus incumbunt, ut propriæ voluntati, quatenus fieri possit, moriantur. Quod faciunt, quum illam non modo inconcessa ap-pe-

petere non sinunt, sed a concessis etiam frequenter abstinere compellunt.

Qua quidem exercitatione eo tandem perveniunt, ut sine ullo impedimento se totos divinæ voluntatis obsequio tradant. Inde fit, quod idem Ezechiel ait, ut quo eos rapiat impetus spiritus, eo protinus rapiantur. Sive enim aliquid præcipiat, sive consulat, sive nutibus & interno impulsu ad fidei regulam explorato moveat, sive lætis in rebus versari, sive adversis agitari velit; demisso protinus capite libentissime, quidquid ille voluerit, amplectuntur. Sic quum beatissima virgo Catharina Senensis se morituram ob vehementissimum pectoris dolorem credidisset, ejusque discipuli obnixè ab ea contenderent, ut precibus a Domino longiorem vitam peteret; ne discipulis, quorum illa salutis prospiciebat, deesset: illa contra, se jam voluntatem suam exuisse, & divinam pro illa amplexatam fuisse, respondit, nec ab illa vel latum unguem posse discedere. Sed quoniam ab hac perfecta obedientia multorum etiam christianorum mores quam longissi-

me distant, non verebor, illos ethnici hominis, hoc est, Senecæ, exemplo accusare, qui, cum Deo loquens, obedientiam suam his devotissimis carminibus testatus est.

Duc me, pater, celsique dominator poli,

Quocumque placuit: nulla parandi mora est.

Adsum impiger. Fac nolle, comitabor gemens,

Malusque patiar, quod patilicuit bono.

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Hactenus ille. Cujus verba tantum pietatis & religionis habere mihi videntur, ut non dubitem, vos omnes adhortari, ut ea in rebus afflictis ad mentem revocare velitis.

Quod vero deinceps propheta subdit: *nec revertentur, quum incederent*, perseverantiam nobis boni operis, studiumque semper proficendi insinuat: quale sancti illius animalis erat, cujus hæc verba sunt: (a) *unum autem, que retro sunt obliviscens, ad ea vero que sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium superne vocationis.* Sic vaccæ illæ, (b) quæ arcam Domini ex terra Philisthino-

C 2

rum

(a) Philip. 3. 13. 14. (b) 1. Reg. 6. 12.

rum in terram Israël deferebant, recta semper via itinere suo pergebant: nec eas aut retrocedere, aut de via deflectere mugientes earum vituli impellere potuerunt.

Sed quid est, quod propheta deinde subdit, unumquodque horum animalium ante faciem suam ambulare? Hoc quoque, sicut & cetera, mysterio non vacat. Hoc enim symbolo monemur, ut quæcumque agimus, quæcumque molimur, loquimur aut cogitamus, sollicitè ac prudenter circumspiciamus; ne qua in re a virtutis tramite vel paululum declinemus. Scitis enim, veram esse vulgatissimam illam magni Dionysii (a) sententiam, quod ad bonum omnes simul causæ conspirare debeant; ad malum autem vel unius tantum circumstantiæ omisio sit fatis. Et ideo quoties vel aliquid aggredimur, vel cum animo nostro cogitamus, diligenter omnia circumspiciamus, quo modo, quo fine, apud quos, quo loco, quo tempore, & quæ sunt ejus generis. Quidquid enim horum defuerit, bonum alioqui opus in contrarium vertit. Hoc est ergo, ante faciem suam ambu-

lare, suorum videlicet operum spectatorem ac judicem fieri. Quam rem Salomon designavit, quum dixit: (b) *sapientis oculi in capite ipsius: stultus in tenebris ambulat.* Stultus enim, quum nullam honesti rationem habeat; sit honestum, an turpe, quod agit, non attendit. Sapiens autem in capite oculos habere dicitur, quia ex sublimi loco, velut in specula quadam positus, opera sua atque se ipsum tamquam alterum spectat: atque ita se velut in duos homines partitur, quorum alter operator, alter operis justitiam & modum examinat. Hoc item nos idem Salomon admonet: (c) *oculi tui recta videant, & palpebræ præcedant gressus tuos.* Ego vero hos oculos & palpebras non solum præcedere, sed etiam comitari, & ad finem usque opera nostra prosequi debere statuo; quum antiquus hostis non solum in operis initio, sed in medio etiam cursu ac fine, insidias tendat. Quo interdum evenit, ut quæ recte cœpta sunt, non recte postea persequamur. A quo periculo sancta hæc animalia longissime aberant, quando unumquodque ante faciem suam ambu-

(a) *Dionys. Arcop.* (b) *Eccles. 2. 14.* (c) *Prov. 4. 25.*

labat, ne quid per ignorantiam delinqueret.

Sed quamvis hæc omnia, quæ diximus, admiratione non vacent, mihi tamen oculorum multitudo, quam illis Joannes in Apocalypsi (a) tribuit, maxime mirabilis esse videtur. Quum enim propheta definitum numerum alarum, manuum atque pedum hisce animantibus tribuat; oculos tamen sine numero assignavit, per totum corpus, ante & retro, oculis plena esse dicens. Quid igitur hæc tanta oculorum multitudo nobis indicat? Multa sane, sed illud in primis, hostibus, laqueis & periculis esse omnia plena. (b) *Omnis etenim creatura, ut sapiens ait, in laqueum & muscipulam pedibus insipientium facta est.* Quid vero est, in quo serpens antiquus laqueos miseris hominibus non tendat? in cibo, in potu, in incessu, in vestibus, in colloquiis, in frequentia hominum, in solitudine, in secundis, in adversis rebus, ac postremo in ipsis etiam bonis operibus, quibus frequenter nos ad inanem gloriam extimulans, in portu naufragium facere compellit. Quæ quum ita sint, quid mi-

Tom. III.

rum, si contra multitudinem laqueorum necessaria nobis sit multitudo oculorum? Quid mirum, si quum hostis antiquus mille habeat nocendi artes, nos quoque mille oculos habeamus, quibus tot ejus fraudes & insidias deprehendere valeamus? Divus Bernardus ex medicamento pretio, hoc est, sanguinis Christi, morbi nostri magnitudinem colligit: nos vero ex hac oculorum multitudine, periculorum magnitudinem, inter quæ quotidie versamur, colligere possumus, Nec enim tam multis oculis opus esset, nisi multis modis nos hostis noster adoriretur. Sunt etiam tot oculi ante & retro necessarii, ut non modo præterita, sed etiam futura prospiciamus. In præteritorum enim recordatione inveniemus unde erudiamur, unde doleamus, & unde gratias Domino agamus. In futurorum autem perspicentia, unde timeamus, & unde nobis opportune provideamus.

Hanc autem sapientiam sanctus propheta filiis Israël optabat, quum diceret: (c) *gens absque consilio, & sine prudentia est. Utinam saperent, & intelligerent, & novissima provide-*

C 3

de-

(a) *Apocalyp. 4. 6.* (b) *Sap. 14. 11.* (c) *Deut. 32. 28. 29.*

derent! Ad utraque ergo hæc tempora inspicienda, anteriores & posteriores isti oculi dati sunt: quin etiam ad omnia virtutum officia moderanda, illamque mediocritatem præscribendam, sine qua nulla virtus exstare potest, necessaria sunt. Magna enim prudentia, quæ oculorum nomine designatur, ad hoc opus est. Ea namque virtutum omnium velut auriga quædam & gubernatrix esse dicitur: ideoque multi oculi numerantur, quia multa nobis prudentia opus est. Virtutes etiam, quibus ipsa præsidet, mediocritate gaudent: qua si destituantur, virtutis nomen amittunt. Prudentia vero nullis finibus coercetur, sed quo majoribus incrementis aucta fuerit, eo perfectior erit. Ideoque quum ea, quæ ad cultum templi, & sacrificiorum oblationes necessaria erant, a rege Persarum certa quadam mensura tribuerentur; sal tamen absque ulla mensura dari præcepit. Quum autem sapientia, & salis, & oculorum nominibus designetur; nihil mirum, si nullus certus numerus oculorum, nulla salis mensura sit.

Hos igitur oculos sancti evangelistæ habuerunt: hos et-

iam beatissimus Matthæus speciali quadam ratione sortitus est; cui inter sancta hæc animalia hominis facies tribuitur, propterea quod sacratissimæ humanitatis Christi opera atque mysteria luculentissime persequutus est. Post Christi vero resurrectionem profectus in Æthiopiam, quam provinciam fuerat sortitus, verbum Domini sequentibus signis latissime disseminavit. Er, regio puero e morte ad vitam, divina ope, revocato, regem patrem cum uxore, & universa provincia ad Christi fidem convertit. Cui regi defuncto quum Hirtacus quidam in regno successisset, ejusque filiam Iphigeniam sibi vellet matrimonio copulare; Matthæus, quo auctore virginitatem illa voverat, ut in sancto virginitatis proposito persisteret, eandem hortabatur. Itaque virginem constanter suis votis obistere molestissime ferens Hirtacus, Matthæum, quem ejus consilii auctorem esse sciebat, ad altare sacra facientem gladio confodi iussit. Et sic apostoli & evangelistæ martyrisque coronam adeptus Matthæus, ad Christum beatamque vitam migravit.

IN

* * * * *

IN FESTO
B. MICHAELIS ARCHANGELI
CONCIO PRIMA,
IN QUÆ LECTIO EVANGELICA
explanatur.

THE. Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno celorum. Matth. XVIII. 4.

*** I hujus sententiæ veritate sacratissimæ Virginis dignitatem & celsitudinem, ut par est, metiri velimus; non dubium, quin, post divinæ majestatis sedem, proximum eam locum in regno celorum obtinere fateamur. Quia enim ejus humilitas summa fuit, altissimum quoque in hoc regno locum ipsam tenere credendum est.

Si quis autem ex altera quidem parte sacræ Virginis humilitatem, quam in hoc sæculo prætulit, dum inter homines versata est, consideret; ex altera vero gloriæ magnitudinem, qua nunc in celo fruitur, contempletur: an non præ admirationis magnitudine obstupescet, quum hinc tantam ab-

jectionem, inde tantam gloriæ celsitudinem videat? In hoc enim sæculo sic se ut pauperula mulier pauperi fabro desponsata gerebat, & circa frequens domus suæ ministerium sine ancillarum gregibus occupata, vilique cultu atque habitu induta, sponsi sui paupertatem, & quotidianum laborem opera & labore suo quæ poterat ratione levabat, colat ac tela victum quæritans. Quæ igitur illam sic abjectam atque humilem in hoc sæculo videntur, quid faciunt, quum illam super omnes angelorum choros inæstimabili splendore fulgentem, & ad unigeniti filii Dei dexteram assidentem, & sub pedibus suis supera & infera omnia cernentem viderint? Quid hoc spectaculo ju-

C 4

cun-